Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 527

Quelle:
Copyright:

tamen in fine C. I. L. I. ubi de Naribus et Odore agitur, pro *flagrantia* reſcribendum eſt in edit. *fragrantia*, quod habuit Codex noſter, ſed ſecunda manus more illius aevi, quo frequenter *fraglare* pro *fragrare* occurrit, mutavit in *fraglantia*, atque id Editor ineptam fortaſſe Librarii μεταθεσιν judicavit, ſi in ſuis etiam Exemplis reperit.

IV. *fol.* 109. p. 2. *Incipit tractatus ſancti Ambroſii Epiſcopi de Penitentia.* Non illico. Praemiſſa eſt enim Objurgatio illa, quae inter *Hieronymi* Rejectitia T. XI. *Opp. col.* 230. a *Vallarſio* relata et inſcripta fuit: *Ad quemdam, qui in Seculo poenitebat*, ignorante jam *Eraſmo*, a quo, aut ad quem profecta ſit. In Editis incipit: *Ad te ſurgo hominem, quem ſcio eſſe fidelem. Ad te increpatio mea feſtinat, quem ſentio eſſe ſuperbum.* In Codice vero: *Ad te increpationem feſtino, quem ſcio eſſe ſuperbum* &c. Qua ratione huc ſe penetraverit iſthaec Naenia, cum ignariſſimis novi. Eam tamen excipiunt genuini *Ambroſii Libri* II. quorum initium: *Si virtutum finis ille eſt maximus* &c. ut edit. T. II. *col.* 389. et Textus ſatis caſtigatus.

Ad calcem adſcripta eſt Sec. XII. haec Donatio: *Notum ſit omnibus chriſtianis quod quidam uir nobilis nomine Hermannus de cazelinesdorf et uxor eius Gerdrudis delegauerunt ſancte et intemerate dei genitrici ſemperque uirgini marie quoddam prędium in loco qui dicitur bard. & huius rei teſtes ſunt ipſemet Hermannus. et duo milites proprii eius Ruodolf de cazelinesdorf. fridericus de bockesrukke. et filius ſororis huius hertinc. Uolricus de Witegis. Siboto de husrukke. Abertus de thimnic. Porne de amelungesbabc. Hainrich de ſpileberc. Pilgrim de ſtruome. Alber & filius eius ulſalcus de bicendorf. Lutholt Sigemar de ſaſſen.* Non pauca horum Locorum parce detortis nominibus vel hodie ſuperſunt per utramque *Auſtriam.*

CCXCI.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 95. f. per duas columnas nitide exaratus, et literis initiorum per priores aliquot paginas picturatis hoc rubro gaudet: *Incipit Tractatus Sancti Ambroſii Archiepiſcopi de Pſalmo Centeſimo octauo decimo.* Prologi initium: *Licet miſtica queque uelut tube increpuerit ſono dauid propheta* &c. Initium Sermonis I. *Beati immaculati* &c. *Quam pulcher ordo, quam plenus doctrine et gratie.* &c. Atque ita Sermonibus XXII. pro literarum hebraicarum numero exponitur Pſalmus, expoſitione deſinente in haec verba: *Cepit in ortis eſſe eccleſia, poſtquam in ortis paſſus eſt chriſtus.* Additur: *Deo gratias*, et rubro: *Explicit Tractatus* &c. ut in fronte. Habetur hic Commentarius T. I. *Opp. Ambroſii* edit. *Maur. Pariſ. 1686. col. 971. f.* Verum Editoribus nullum Codicis noſtri ἀντιγραφον ad manum fuiſſe videtur; alioquin enim lectionis varietatem, quae

R. 18

non